

## LXII. BREMENIVM

(High Rochester sive Riechester).

Accedunt Campville, Gloster Hill prope Warkworth.

Qui viae *Watlingstreet* vestigia ab Habitatio prosequitur versus septentriones, ut omnium accuratissime fecit Maclauchlan, per *Woodhouse*, *Corsenside*, *Throughend* (ubi prodiit titulus n. 1006 ad Habitancium, ut videtur, pertinens), *Dunshouses*, *Dargues*, *Blakehope*, *Brownrig*, *Birkhill*, *Bagraw*, *Redesdale Cottage* vicis locos collesve ad situm castrorum accedit, quem ita descripsit testis antiquissimus Ricardus BAINBRIGG (cod. mus. Brit. Cotton Iulius F. VI f. 308): '*Rochester in Rhedesdaile haith bene some strong fort against the enimie; it stands upon an hje mountaine, it is some fyve miles frome Rheadsqwire, & so manie myle frome Gamblespath eastward (Gammel Path nunc scribitur); this Gamblespath was the Brytaines bound in the Romaines tyme, but now it is the Scottishe.*' Titulo deinde usus n. 1037, in quo nominatur numerus exploratorum Bremen(iensium), cui nuper alter accessit n. 1030 eundem numerum nominans, iam Camdenus (ed. VI p. 661) recte statuit castris illis nomen Bremenii fuisse, cuius mentionem faciunt Ptolemaeus (2, 3, 10) inter Otadenorum oppida et itinerarium (p. 464, 3) cum Ravennate (5, 31 p. 434, 13). Effossiones in situ castrorum institutae, quae *Riechester* Horsleius appellat (p. 243. 395; cf. Hodgson 2, 1 p. 138 ss.), *High Rochester* hodie fere dicunt, ut distinguant ab *Low Rochester* vico novicio ad *Rede* fluvium (sive *Red Water*) sito, praesertim a. 1852 et 1853 (cf. Bruce *Newcastle meeting of the archaeological institute* vol. 1, 1858 p. 135 ss., *Archaeol. Ael.* 1, 1857 p. 69 ss., *wall* p. 315 ss.; Maclauchlan *Watlingstreet* p. 33 ss.), formam eorum plenissime detexerunt. Tituli satis frequentes, qui prodierunt ibi inde a saeculo XVI, castra extracta esse indicant a vexillationibus fortasse legionum VI (cuius etiam tegula ibi prodiit infra edenda) et XX (n. 1049. 1050 cf. n. 1053) et a cohorte I fida Vardullorum miliaria equitata (n. 1051). Eandem cohortem una cum I Lingonum supra iam deprehendimus in castris fuisse in *Lanchester* (cap. XXXVI), quod item situm est ad viam *Watlingstreet*. Itaque cum praeter numerum exploratorum (n. 1030. 1037) ambas postea Bremenii tetendisse ex titulis

appareat (n. 1030. 1031. 1039. 1043. 1044. 1045. 1046; deinde n. 1041), ex *Lanchester* videntur provenisse ad castra Bremenensia vel extruenda vel tutanda. Tituli tribunorum non pauci, quorum cohors non indicatur (n. 1034. 1035. 1038. 1052. 1056), ad cohortem Vardullorum videntur referendi esse, quae *ballistarium* ibi aedificavit (n. 1045. 1046) imperante Elagabalo. Eius fortasse etiam est pars signi aenei inscripta, quae ibi reperta est, atque infra suo loco proponenda. Quae praeterea nominari videtur cohors I Dalmatarum (n. 1055) Uxellodunensis (supra cap. XXXIII), incerta est. Memorantur praeterea singularis et librarius consularis (n. 1033. 1038), decurio (n. 1036), miles legionis VI (n. 1057). Deorum dedicationes (n. 1029—1040 cum Graeca infra proponenda); tituli imperatorii a Pio ad Elagabalum (n. 1039—1048), legatorum Augusti aliorumque magistratum (n. 1030. 1041. 1043. 1045. 1046. 1054) hanc quoque stationem non exiguum fuisse comprobant. Tituli sepulcrales perpauca tantum (n. 1058—1060) innotuerunt.

Ex titulis Bremenensibus unum (n. 1037) BAINBRIGG et CAMDEN noverunt ad *Conington* et Cantabrigiam postea delatum, HORSLEIUS sex (n. 1032. 1037. 1038. 1039. 1052. 1056), qui plerique Dunelmum pervenerunt in bibliothecam capitularem. Paucos illis addiderunt saeculo XVIII HUNTER et TAYLOR (n. 1043. 1057), DUTENS (n. 1031), HUTCHINSON (n. 1031. 1050). Multo iam plures HODGSON edidit, scilicet numero omnino septendecim; singulos aut ediderunt aut tractaverunt BELL (n. 1043), C. R. SMITH (n. 1046), SURRIDGE (n. 1030. 1031. 1041); pluri autem ex effossionibus nuperrimis prodierunt servanturque tam a ducibus Northumbriae in castello *Alnwick*, unde BRUCE eos edidit diligenter delineatos, quam in Museo Aelianensi (n. 1036. 1043. 1047). Ipse Bremenium non adii, sed cum Cantabrigiae, Dunelmi, in *Newcastle* musea excutere, in *Alnwick* autem ducis Northumbriae eiusque filii liberalitate adiuto titulos ibi servatos omnes conferre mihi licuisset, non erat quod nimis aegre ferrem me castra ipsa non vidisse.

A small altar lately found at Riechester; it has had, in all probability, an inscription, tho' now not legible. There are several strokes on the face of the stone, that appear like letters, but I rather believe most of them to be accidental cuts of the plough HORSLEIUS. Servatur nunc in bibliotheca Dunelmensi; litteras olim fuisse Graecas mihi certum visum est, sed lectio praeter v. 1 incerta.

⊙ ⊙ O I Σ  
 < A I Σ O O  
 E A V  
 <

Descripsi. Horsley p. 241 *Northumb.* 94 γ (inde Warburton vallum p. 146, 94 γ; Goughs Camden 3 p. 505 tab. 33 fig. 4). Cf. titulus Graecus Eburacensis supra p. 62.

1029 Caput arae rep. 1856 at *Gloster Hill* prope *Warkworth*; servatur in *Alnwick castle* dono Roberti Dand, of *Field House*. Fragmentum est altum et latum ped. 1 dig. 5.

cam MÆSTRB  
 } P I

Contuli. Bruce *wall* p. 404. 2 OH I Bruce, fortasse recte; ut fuerit *coh(ors) I* . . .

1030 *High Rochester*; ara rep. a. 1852 in effossionibus intra stationem institutis; servatur in *Alnwick castle*. Alta est ped. 3 dig. 2, lata ped. 1 dig. 6.

G ⊙ D ⊙ N ⊙ ET  
 S I G N O R V M  
 COH · I · VARDVLI  
 ET N EXPLORA  
 5 TOR · BREM · GOR  
 EGNAT · LVCILI  
 ANVS · LEGAVS  
 CVRANTE CASSIO  
 SABINIANO RB

Contuli; Bruce *Newcastle meeting of the archaeological institute* 1 p. 135 ss., *wall* p. 315 (C. R. Smith collect. ant. 4, 1862 p. 166; McCaul *Brit. Rom. inser.* p. 139); *Surrige notices* p. 4 tab. 1 fig. 1.

7 Mihi in lapide visum est esse AV⊙, AVG reliquis; sed fortasse erravi, cum Egnatium Lucilianum legatum Gordiani fuisse tam ex hoc ipso titulo constet quam ex titulo in *Lanchester* reperto supra n. 445.

G(enio) d(omini) n(ostris) et signorum coh(ortis) I Vardull(or)um et n(umeri) explorator(um) Brem(eniensium) Gor(dianorum) Egnat(ius) Lucilianus leg(at)us Aug(usti) curante Cassio Sabiniano trib(uno)